



**R. P. Ioannis Præpositi Atrebatis, E Societate Iesv, S.
Theologiæ Doctoris, & quondam in Vniuersitate
Louaniensi ac Duacensi Professoris, Commentaria In
Tertiam Partem S. Thomæ De Incarnatione Verbi ...**

LePrévost, Jean

Dvaci, 1629

Qvæstio XVII. De pertinentibus ad vnitatem in Christo quantum ad esse.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94249](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94249)

cundum suum esse simpliciter, atque adeo secundum esse diuinum.

Soluuntur
rationes
Scoti,

Nec contra hanc explicationem vrgent rationes Scoti, quod scilicet Christus factus sit homo; atqui fieri hominem est fieri simpliciter; ergo dici potest, *Christus factus est*; & proinde dici potest, *Christus incepit esse*.

Resp. concessa maiore distinguendo minorem: si enim fieri simpliciter sumatur prout idem est quod fieri substantialiter, seu acquirere esse substantiale, conceditur: quia suppositum Christi acquisiuit in tempore esse substantiale hominis per coniunctionem humanitatis cum persona diuina. si verò per fieri simpliciter intelligatur quod res absolute fiat, negatur minor vniuersaliter sumpta; cum enim suppositum Christi simpliciter fuerit antequam illi vniueretur natura humana, Christum fieri hominem non est fieri simpliciter, atque adeo ex eo quod incepit esse homo, non potest dici sine addito quod incepit esse.

Argumenta
quædam
contra Scotum
non concludunt,

Notandum tamen quod contra propositionem in sensu Scoti acceptam non vrgent varia que opponuntur; vt quod ex ea sequeretur posse dici filium Dei incipere; id enim nullo modo sequitur, cum a sensu formali procedatur ad materiale: nam vt ostensum est iuxta Scotum in illa propositione, *Christus incepit esse*, Christus accipitur formaliter pro composito ex diuina persona & natura humana, vel saltem non designat suppositum quomodocumque, sed peculiariter subsistens in vtraque natura, in consequente verò filius Dei sumitur planè materialiter.

ARTICVLVS X.

Vtrum hæc sit vera, Christus vt homo est creatura?

AFFIRMAT. patet ex notatis art. 8.

ARTICVLVS XI.

Vtrum hæc sit vera, Christus secundum quod homo est Deus?

86.

RESPONDET sub distinctione: si enim particula, *secundum quod*, vel *in quantum*, reduplicet suppositum, est vera: si verò reduplicet naturam, est falsa. vbi tamen

In rigore
est falsa.

Aduerte propriè & in rigore esse falsam, quia in proprietate sermonis solet reduplicare naturam, & terminus illam subsequens solet accipere formaliter, & designare causam vel naturam secundum quam prædicatum propositionis conueniat subiecto: falsum autem est quod Christus secundum naturam humanam sit Deus, siue quod conueniat ei diuinitas ex eo quod habeat naturam humanam. Vnde falsa est propositio tam in sensu reduplicatio & particula designante causam propter quam attributum conueniat subiecto: quam sumpta specificatiue, & determinate seu designante naturam secundum quam ei conueniat quod sit Deus; quia nec humanitas est causa cur Christus sit Deus, nec Christo secundum naturam humanam conuenit esse Deum.

87.

Hæc etiam
Christus secundum
quod est iste homo,
est

Aduerte S. Th. responsione ad 3. sentire hanc propositionem, *Christus secundum quod est iste homo est Deus*, magis esse veram, quia pronomen, *iste*, ma-

gis trahit ad suppositum terminum, *homo*. Verum etiam magis propriè sumitur formaliter & designat indiuiduum naturæ humanæ quando ponitur post reduplicationem, & proinde propositio simpliciter est falsa.

Ex his colligi potest quod attributa vnius naturæ non possint tribui Christo cum reduplicatione alterius naturæ etiam in concreto; vnde non est vera propositio, *Christus vt Deus passus est, resurrexit, &c.* vt homo est creator, est omnipotens, est ubique; quia terminus subsequens particulam, *vt*, sumitur formaliter & designat naturam in qua & secundum quam aliquid competat Christo: falsum autem est quod Christo conueniat pati secundum diuinam naturam, item quod natura diuina sit illi ratio ob quam, passionis, falsum etiam est quod omnipotentia ei competat secundum naturam humanam.

ARTICVLVS XII.

Vtrum hæc sit vera, Christus secundum quod homo est hypostasis vel persona?

RESPONDET consimili modo distinguendo, sicut articulo præcedenti: si enim particula, *secundum quod*, reduplicet suppositum, est vera; sed hic sensus est minus proprius. si verò reduplicet naturam, potest distinguere: vel enim sumitur specificatiue determinando & specificando naturam in qua etiam illi conueniat esse personam, & hoc sensu vera est, quia Christo etiam in natura humana conuenit esse personam, est que sensus maxime proprius, vel accipitur reduplicatiue, ita vt designet naturam tãquam causam, ex cuius principiis competat Christo esse personam, & ita falsa est. Cum enim in Christo personalitas non sit creata, falsum est ex principiis naturæ humanæ ei competere rationem personæ.

Aduerte tamen 1. alio sensu particulam sumptam reduplicatiue posse reddere verum sensum, quod Christus in quantum homo sit persona; quia videlicet natura humana ex naturali sua conditione postulat esse in persona, quæcumque illa sit: vnde Christus etiam in quantum homo postulat esse persona.

Aduerte 2. hanc esse maxime propriam, *Christus vt homo est persona humana*, quia natura humana vnita Verbo est illi causa cur in ea subsistat, & per consequens subeat rationem personæ humanæ.

QVÆSTIO XVII.

De pertinentibus ad unitatem in Christo quantum ad esse.

ARTICVLVS I.

Vtrum Christus sit vnus vel duo?

RESPONDET quod Christus sit vnus masculinè, & vnus neutraliter. Et quidem quod sit vnus masculinè est de fide. patet ex Symbolo Nicæno & Athanasij, & habetur in varijs Concilijs, docetque communiter Patres, qui plurimi citantur à Suarez.

Deus, videtur
simpliciter
falsa.

88.

Aliquo
modo
est
et
aliquo
modo
non.

89.

Ista est
maxime
propria:
Christus
vt homo
est persona
humana.

1.

Christus
est vnus
&
vnus.
Sym. Nic.
Athanasij.

Suarez

Suares circa presentem articulum, & Vázquez disp. 70, c. 2. Ratio est, quod sit vnum suppositum & vna persona in Christo, vnus autem masculinè sine addito designat vnitatem personæ, vnde licet Pater & Filius dicantur vnus Deus, non tamen dicuntur vnus sine addito.

Quod similiter sit vnum neutraliter, non est ita certum; communius tamen traditur à Doctoribus; etque verius; quia in Christo duæ sunt naturæ inter se vnitæ vnione substantiali, ita vt vnde resultat vnum compositum per se: atqui vnum neutraliter positum sine addito potest dici de omni tali composito, vt patet in homine, leone, qui licet consent diuersis partialibus naturis, absolute tamen dicuntur vnum.

Dixi sine addito, quia cum addito, potest nomen, duo, vel plura, prædicari de Christo; nam possumus dicere, in Christo sunt duæ vel plures naturæ simul, item, Christus est duo secundum ipsas naturas; & similes propositiones possunt formari, quibus potest denotari plura in Christo esse vnita.

Et ita sunt explicandi multi Patres qui enuntiant de Christo plurale in neutro, sic potest explicari August. lib. contra Felicianum cap. 11. in fine, vt patet ex textu. Sophronius epistola quæ habetur in 6. Synodo generali actione 11. approbata actione 13. vbi etiam vocat vnum; & alij qui dicunt Christum esse aliud & aliud, quia loquendi formam nihil aliud volunt quam plures naturas conuenisse per vnionem ad Christum componendum, ex quo tamen non licet inferre *est duo*, per quod designatur esse plura sigillatim. Adde hanc propositionem *Christus est aliud & aliud*, propter suam ambiguitatem commodius negari.

ARTICVLVS II.

Vtrum in Christo sit tantum vnum esse?

AFFIRMAT. quæ conclusio certa est si intelligatur de esse omnino completo; natura enim humana carens propria personalitate non habet esse completum distinctum à Verbo per cuius subsistentiam subsistit, hoc constituto est

DVBIVM.

Vtrum in Christo sint plures existentie?

DUPLEX est hæc de re sententia. Prior asserit humanam naturam in Christo non habere propriam existentiam creatam, sed existere existentia increata Verbi, & proinde vnicam in Christo esse existentiam. Ita communiter Thomistæ, qui eam sententiam amplectuntur, quod existimant esse S. Th. Ad quam probandam, & ad satisfaciendum argumentis quæ in contrarium afferuntur, mirè hic philosophantur Caiet. & Med. similiter Aluarez disp. 14. concl. 3. quod videlicet existentia sit proprietas personalis primò & per se conueniens personæ, deinde ratione illius conueniens naturæ; atque ita volunt rationem personalitatis esse prioris existentiam & intimius coniungi essentie quam existentiam, imò hanc non nisi ratione personalitatis tanquam susceptiui conuenire essentie.

Posterior sententia censet quod quemadmodum duæ sunt naturæ in Christo, ita duæ sint exi-

stentia, vna increata diuinæ naturæ, altera creata, quæ competat naturæ humanæ, & ratione illius conueniat Christo. Ita communius Theologi tam antiqui quam recentiores, & Palud. dist. 6. q. 3. versus finem; vbi defendit non esse contrariam S. Th. quod videtur verius.

1. Quia nusquam aperte docet naturam humanam in Christo carere propria existentia; nam hic vel nihil dicit ea de re, vel contrarium indicat, quia in fine corporis colligens conclusionem ex discursu facto ait: *Sic igitur cum humana natura coniungatur Filio Dei hypostaticè vel personaliter (vt supradictum est) & non accidentaliter, consequens est quod secundum humanam naturam non adueniat sibi nouum esse personale, sed solum nona habitudo personalis ad naturam humanam, vt scilicet persona illa iam dicatur subsistere non solum secundum diuinam naturam, sed etiam secundum humanam.* Quibus verbis aperte constat S. Thom. solum negare humanitati Christi personalitatem & subsistentiam creatam, & solum negare aduenire Filio Dei nouum esse personale ratione humanitatis sibi vnitæ; & proinde indicat humanam naturam in Christo habere propriam existentiam.

Dices id non sequi; cum negando personalitatem propriam, neget etiam consequentia personalitatem, videlicet existentiam.

Resp. optimè sequi, nam seponendo disputationem de re ipsa, & solum inherendo ijs quæ tradit S. Th. non apparet vestigium quod existimauerit existentiam esse posteriorem personalitate, & esse illius proprietatem.

Idem S. Doctor quaest. 2. art. 6. responsione ad 2. vt soluat argumentum quo querebatur, quomodo natura humana non adueniat Filio Dei accidentaliter; respondet non aduenire vel vniri accidentaliter, quia aduenit non quasi assumpta ad vnum esse prout est natura, sicut corpus assumitur ad esse anime, sed ad vnum esse prout est hypostasis vel persona, vbi rursus aperte docet in Christo esse quod dicitur vnum, solum esse hypostaseos & personæ, non autem existentie.

Idem quaest. 4. art. 2. & 3. dicit, *illud quod assumitur oportet præintelligi assumptioni*; igitur secundum S. Thom. natura humana debet præintelligi assumptioni, non debet autem præintelligi secundum solum esse essentie seiunctum ab esse existentie; cum tale esse nihil sit reale, sed solum habeat esse obiectiui & possibile: quod autem præintelligitur assumptioni debet præintelligi secundum esse reale; igitur natura humana præintelligitur assumptioni secundum esse existentie, sublimo: atqui natura humana in Christo habet illud idem esse secundum quod præintelligitur, & hoc intendit S. Thom. locis citatis; ergo conformiter discursui S. Thom. in prædictis locis natura humana dicenda est in Christo habere existentiam propriam creatam.

Questione de vnione Verbi incarnati art. 4. expresse tradit in Christo esse aliud esse ab esse supposito, quod esse etsi non sit esse accidentale, quia homo non prædicatur accidentaliter de Filio Dei, non tamen est esse principale sui suppositi, sed secundarium. & ad 1. dicit, *esse humane nature non est esse diuine, scilicet in Christo, ex quibus patet quod censuerit prædicto loco humanitatem in Christo habere propriam existentiam: quam sententiam non patet vllibi retractasse, his præmissis de mente S. Thom. Resp. &*

Dico omnino verius est humanitatem in Christo existere

Probatur esse D. Th. ex varijs locis.

Obiectio.

Soluitur.

5.

S. Th. admittit in Christo quoddam secundarium esse.

6.

Omnino
verus est
humanitas
existere
existentiā
creatā, di-
stinctā ab
existentiā
Verbi.
Prob. 1.

Nulla crea-
tura potest
poni forma-
liter extra
nihil per di-
uinam exis-
tentiā.

Secundō.

7.

Tertiō.

Respon-
siones quorū-
dam ad hoc
argum.

8.

Refellitur
multiplici-
ter.

Creatione
nimis Chri-
stie. plane

existere existentia creatā, distinctā ab existentia Verbi; atque adeo duas in Christo esse existentias; vnā increatam, creatam alteram.

Posteriores partes continent maiorem expressio- nem prioris: quæ probatur 1. existentia est forma- lis actualitas rei per quam vnaquæque res ponit- ur in rerum natura extra nihil, & sit quædam en- titas. atqui nulla creatura videtur posse poni for- maliter extra nihil per diuinam & increatam exis- tentiam; igitur humanitas in Christo non ponitur in rerum natura & extra nihil formaliter per diui- nam existentiam, neque per eandem constituitur in ratione entitatis actualis. minor prob. creatu- ra in sua entitate & secundum id quod ponitur ex- tra nihil, dependet essentialiter à Deo tanquam à causa efficiente; atqui existentia diuina non potest pendere à Deo tanquam à causa efficiente; ergo id secundum quod creatura ponitur extra nihil non est diuina existentia.

Prob. 2. creatio per se & omnibus alijs præcis- tendit ad esse existentia, ita vt sese extendat vsque ad existentiam rei; igitur per creationem animæ eidem tribuitur esse existentie; non increata, ergo creatæ; ergo anima Christi habet esse existentia creatum sibi communicatum per creationem.

Conf. si natura humana vnita Verbo non ha- beat aliud esse quàm diuinum, seu si solum existat existentia increata Verbi, non potest intuitiue vi- deri à non beato; cum non possit videri nisi vt en- titas quædam in rebus posita, & visio non sinit in esse essentia, cum illud præcisum ab esse existen- tia nihil sit. ex quo sequitur quod non solum an- gelus non possit videre animam Christi per vires naturæ, sed ne quidem per scientiam infusam ex- tra visionem beatificam; quod tamen nullo modo videtur alienandum.

Prob. 3. nihil potest assumi, nisi supponatur prius naturā existens. igitur anima prius naturā existit quàm à Verbo assumatur; atqui in eo prio- ri non potest censerī existere existentia Verbi; er- go propria & creatā. maior patet; nihil carens esse potest alteri vniri; ergo saltem prius naturā sup- ponitur existere. minor verò patet, quia quidquid prouenit humanitati à Verbo præsupponit vnio- nem eiusdem humanitatis cum Verbo.

Ad hoc argumentum varij variè respondent. Medin. responsione ad confirmationem tertij; di- cit, animam Christi prius intelligi creatam quàm assumptam. sed in illo priori impediri à proprio esse, quod erat habitura. itaque in illo non in- telligi habere esse, sed vniri, & esse quasi in via ad esse diuinum. Consimilia tradit Alvarez de In- carnatione disp. 14. notabili 3. ante conclusio- nes.

Verum hæc videntur dicta parum solidè. 1. quia repugnat esse actionem per quam ponitur terminus, & non poni terminum; sed creatio est actio per quam responditur extra nihil, & sit quæ- dam entitas; igitur implicat poni creationem & animam non poni extra nihil quoad esse reale, & per consequens illam non habere esse existentia. 2. creatio animæ Christi est actio distincta ab vnione eiusdem cum Verbo; ergo habet terminum distinctum; non habet autem pro termino solum esse essentia, cum essentia præcisā existentia nihil sit reale, sed tantum concipiatur vt quid potens esse, & proinde sistens in eo statu non possit ter- minare actionem realem; ergo habet etiam esse existentie. 3. creatio animæ Christi est planè eius- dem rationis cum creatione cuiusque nostrum,

fuiſſetque eiusdem rationis, licet non habuisset coniunctam eodem tempore vnionem sui cum Verbo; sed creatio respectu aliorum habet pro termino rem existentem; ergo etiam creatio ani- mæ Christi. 4. repugnat creationem esse priorem assumptione, & per illam eandem animam intel- ligi vniri.

Dices animam rationalem Christi produci in Verbo; igitur non præsupponitur esse antequam vnatur. Patet à simili in accidente, quod eadem actione producitur & vnatur materia.

Resp. negando conseq. & dico non esse simi- le quod affertur de accidente; quia illud produ- citur subiecto concurrente per modum materiae in qua recipitur, & quam perficit; anima verò non recipitur in Verbo, nec illud perficit; vnde creatio animæ est actio planè distincta ab eiusdem vnione cum Verbo tendens ad esse actuale rei.

Lorca quamvis disp. 68. sentiat cum commu- ni sententia; tamen num. 7. illius disputationis hoc argumentum conatur enervare, asserens quod na- tura humana eodem instanti temporis & natura sit concepta & vnita. pro quo citat plura Conci- lia & Patres, qui cum absolute negent naturam humanam prius extitisse quàm fuerit assumpta vel vnita Verbo, non solum excludunt priorita- tem temporis, sed etiam naturæ.

2. Negant absolute existentiam naturæ in se- ipsa; quæ tamen necessarid esset concedenda si hu- manitas prius naturā extiterit quàm fuerit assump- ta. & ita duplex concedenda existentia naturæ si semel existat in se secundò in Verbo.

3. Dicunt idem esse assumptionem & concep- tionem; quod dici nequit, si actiones fuerint si- bi succedentes.

4. In alijs natura non prius existit quàm sub- sistat, igitur neque prius secundum ordinem natu- ræ humanitas in Christo existet quàm subsi- stat.

5. Nisi id dicatur, non apparet quomodo B. Virgo sit mater Christi; cum eius actio sit termi- nata in sola humanitate. Vnde dicit creationem animæ & hominis generationem esse simul natu- rā, & in genere censet vnum non esse prius altero secundum naturam nisi sit eius causa in genere causæ efficientis. Verum hæc & similia non suffi- cienter probant eius intentum.

Ad 1. enim dico sanctos Patres negantes na- turam humanam prius extitisse quàm fuerit as- sumpta, solum velle negare quod prius tempo- re extiterit. quod ostenditur i. ex communi usu loquendi, quando enim sine vilo addito dicitur, hoc non præexistit alteri, nisi ex antecedentibus & consequentibus aliud colligatur, intelligitur de præexistentia quoad ordinem temporis. 2. ex eo quod Patres agerent vel contra Originem, qui asserbat animam Christi prius tempore extitisse quàm assumeretur; vel contra Eutychetem qui idem censabat, cum existimaret Christum esse ex duabus naturis ante adnationem: inde enim con- cluditur quod senserit naturam humanam prius tempore extitisse quàm assumeretur. videri potest S. Leo epist. 11. vel 3. contra Nestorium docen- tem naturam humanam remanere in proprio sup-posito; contra quem docet illam naturam nullo vnquam tempore extitisse in proprio supposito, sed eodem instanti temporis quo creata est, inextitisse Verbo, à cuius subsistentia fuit sustentata & terminata.

Ad 2. dico Patres optimè negare naturā Christi extitisse

Replica.

Soluitur.

9.

Lorca idem
argumentū
conatur
enervare
rationibus.

10.

Sed eius ra-
tionem sol-
uuntur.
Ad 1. Resp.

S. Leo.

Resp. ad 2.

existit in seipsa, quia, vt ex illis patet, nullo vnquam temporis momento existit extra Verbum: neque concluditur quod existerit in seipsa, vel duplex existentia, si prius naturâ existerit quam assumeretur; nam existere prius in seipso, &c. dicitur prioritate temporis, & in quo, quod falsum est respectu animæ Christi prius autem naturâ existere solum dicitur prioritate à quo & secundum ordinem causæ, vel eius quod aliquo modo ad causam reducitur; ex qua prioritate non licet concludere quod natura humana aliquando in seipsa existerit, vel duplicem habuerit existentiam.

Ad 3. dico si formæ illæ loquendi in eo rigore sumi debeant in quo sumit Lorca, non solum non posse dici productionem naturæ humanæ & eiusdem vnionem esse actiones sibi succedentes, sed nec posse dici esse plures actiones; cum tamen censetur esse actiones diuersas: vel ergo eius argumentum etiam iuxta illius principia nimium concludit, vel non necessarîo concludit intentum; potueruntque ita loqui Patres quamuis essent actiones diuersæ, quarum vna fuit naturâ posterior alterâ; quia prior ad posteriorem ordinabatur, & quidem eodem temporis momento ponendam; ita vt propter connexionem illarum inter se, vulgari modo dici posset humanitatem ipsâ assumptione produci; quamuis in rigore duæ essent actiones, quarum vna quoad ordinem naturæ præsupponebatur alterâ. videri potest dubium 4. art. 7. q. 2. & cum huiusmodi actiones non planè per accidens se habeant respectu sui inuicem, non videntur positæ sine vilo ordine vnus ad alteram.

Ad 4. Resp. quidquid sit de antecedente, negando conseq. si enim res non prius existat quam subsistat, id inde oritur quod vnâ & eadem actione tribuitur ei esse & subsistere; (cuius tamen contrarium in superioribus censuimus esse probabilius; diximus enim subsistentiam effectiue fluere à natura cuius est subsistentia.) in præsentî autem sunt duæ actiones, quarum vna est naturalis, supernaturalis altera; per quarum vnâ recipit esse actuale & ponitur extra causas, per alteram verò vnitur alteri, quando autem ita fit, res quæ vnitur prius naturâ supponitur existens.

Ad 5. Resp. negando assumptum; nam dubio citato offendimus quomodo Beata Virgo dici possit mater Dei, quamuis actio productiua corporis & animæ præcedat eorundem vnionem cum Verbo, quod & paulo post reperimus, vt satisfaciamus argumento Thomistarum, qui inde etiam conantur probare existentiam increatam humanitatis Christi, certè nisi aliud interueniret, per concomitantiam actionum non ita commodè res videretur explicari.

Fundamentum quo nitur Lorca ad negandum corpus & animam prius naturâ existere quam assumantur, non videtur verum; si enim dependentia vnus ab altero in genere causæ efficientis sufficit ad prioritatem naturæ; quidni sufficiet & alia? v.g. tamquam à causâ materiali, à conditione prærequisita, &c. Cùm ergo actio productiua & vnitiua non planè per accidens se habeant respectu sui inuicem, sed aliquam habeant connexionem; & vnitiua dependeat à productiua saltem vt conditione prærequisita optimè tam actio productiua quam eius terminus, scilicet res existens, dici possunt ordine naturæ præcedere ipsam assumptionem, ex quibus patet ex hoc etiam capite solidum sumi argumentum ad probandum naturam humanam in Christo habere existentiam

creatam, quod rursum

Prob. 4. si natura humana in Christo non existit propriâ existentia creatâ, fatendum erit immediatam vnionem naturæ humanæ ad Verbum, factam non solum ad subsistentiam sed etiam ad existentiam; cumque Thomistæ communis teneant vniam in Deo esse existentiam, scilicet naturâ diuinâ, consequenter dici debet vnionem factam in aliquo communi tribus personis, & proinde tres personas incarnatas, quod est falsum & supra impugnatum quæst. 3. art. 2. in dubio. videri possunt ibidem dicta & hic applicari.

Porro vniam dari in Deo existentiam tenent Capreolus in 3. distinct. 1. quæst. vnica art. 3. ad 2. contra 2. conclusionem. Caiet. 1. parte q. 28. art. 2. Bannes eadem parte q. 40. art. 4. dub. 2. §. ex istis colligit.

Aluarez disputatione citatâ negat id sequi, quia vnio cum existentia increata est solum mediata; sicut ergo non sequitur tres personas assumpsisse naturam humanam eò quod mediata natura humana sit vnita diuinâ: ita in præsentî non sequitur.

Verum id non satisfacit, quia secundum priorem sententiam vnio in existentia ita facta est, vt natura humana formaliter existat per existentiam increatam, & per illam denominetur existens, si ergo solum detur existentia communis tribus diuinis personis; natura humana in Christo per illam existet formaliter, & per illam terminabitur; ergo poterit terminari à tribus personis. Alia est ratio naturæ diuinæ, quæ nullo modo terminat naturam humanam, sed solum illi vnitur, quia est in persona cui vnitur natura humana.

Prob. 5. proprietates & affectiones reales non profiunt nisi à natura realiter existente, & iuxta conditionem realitatis naturæ; cùm ergo in Christo sint duplicis generis proprietates & operationes, duplex erit existentia naturarum; scilicet increata diuinæ, creata humanæ.

Medin. supra responsione ad argumenta Scoti dicit disparem esse rationem, quia intellectus &c. sunt proprietates naturæ, esse verò est proprietas personæ.

Sed fundamentum Medinæ (quod est etiam Caietani) videtur omnino falsum, si esse seu existere distinguatur à natura (de quo nondum disputo) 1. natura diuinâ verè & realiter existit per existentiam absolutam quam non habet à personalitatibus prout ab ea distinguuntur, ergo falsum est quod esse seu existere proueniat naturæ à persona, id est personalitate, ita vt natura realis prius afficiatur personalitate & illâ mediante recipiat existentiam.

Antecedens prob. naturæ diuinæ prius ratione quam determinetur ad esse personale, conueniunt attributa absoluta, intellectus, voluntas, sapientia, iustitia, &c. quæ non conueniunt nisi enti existenti, igitur in illo priori existit, seu in illo conuenit illi existentia.

Item priusquam personæ censeantur aduenire dici debet quod diuina natura sit ens perfectum, purus actus, independens; hæc autem omnia intrinsecè includunt existentiam; ergo natura diuina in illo priori existit, videri potest S. Thom. 1. parte quæst. 3. artic. 4. cuius rationes quibus probat existere seu esse in Deo idem esse cum essentia, ostendunt naturam diuinam, etiam in quantum vnâ, habere existentiam, & proinde vt pruenit personalitates, & per consequens non foreiri

Prob. 4. conclusio.

14. Vnicam in Deo existentiam tenent Capreol. Caiet. Bann. Resp. Aluarez.

Reijcitur.

Prob. 5.

Responsio Medinæ.

Sed eius principium videtur falsum.

15. Esse seu existere nõ est proprietas personæ.

illud esse etiam nostro modo concipiendi mediantibus personalitatibus.

Absoluta in Deo priora relatiuis.

Conf. omnia absoluta necessaria in Deo sunt priora relatiuis; cum ergo. existentia diuina sit quid absolutum & commune tribus personis, sitque necessarium, est prior personalitatibus diuinis; & per consequens non potest competere naturae mediantibus personalitatibus; igitur neque dicendum in creatis eam aduenire naturae mediante personalitate, cum non possit assignari ratio diuersitatis.

16.

Quod gradus est vniuersalior, eo prius videtur competere; existentia autem est gradus & ratio quadam vniuersalior, quam sit substantia vel inherencia. ergo videtur prius inueniri in rebus quam substantia vel inherencia. Vnde falsum est personam esse susceptiuium ipsius esse seu existentiae; non enim est magis susceptiuium quam inherencia accidentis sit susceptiuium existentiae accidentis.

Conclusio non satis probatur ex Damasc.

2. Existentia accidentis non aduenit illi mediante inherencia; cum accidens separatum à subiecto possit existere; igitur neque existentia substantiae aduenit illi mediante personalitate, cum personalitas & substantia ita se habeat ad existentiam substantiae, sicut inherencia ad existentiam accidentis.

3. Quod gradus est vniuersalior eo prius videtur competere; existentia autem est gradus & ratio quadam vniuersalior, quam sit substantia vel inherencia. ergo videtur prius inueniri in rebus quam substantia vel inherencia. Vnde falsum est personam esse susceptiuium ipsius esse seu existentiae; non enim est magis susceptiuium quam inherencia accidentis sit susceptiuium existentiae accidentis.

Coroll.

Eadem conclusio à quibusdam probari solet auctoritate Damasceni lib. 3. de fide cap. 3. 11. 12. 22. Verum ut bene aliqui aduertunt, ijs locis nullo modo fauet isti opinionis; nam cap. 3. solum vult naturam humanam per vniionem hypostaticam non esse mutata in Dei naturam; non etiam in nihilum redactam, sed remansisse à parte rei; quod verum est, siue propriam habeat existentiam, siue existat existentia increata Verbi.

Obijciunt.

Cap. 11. docet assumptam naturam in indiuiduo, non verò solà cogitatione abstractam; & cum capitibus citatis tradit naturam humanam habere existentiam in Verbo, non vult determinatè quòd existat existentia propria, sed quòd non existat per se, sed in alio, siue habeat propriam existentiam, siue existat existentia increata Verbi.

Resp.

Ex plerisque rationibus à nobis factis non tantum sequitur naturam humanam non extitisse existentia increata Verbi, sed ne quidem potuisse existere.

17.

Existencia ratione solum distinguuntur ab essentia.

Dices probabile est existentiam distinguere tam à natura quam à substantia; igitur verisimile est potuisse existentiam à natura separari, atque adeò naturam assumi ad existentiam increatam.

Replica.

Resp. id videri fundamentum prioris sententiae, quo posito variè colligit naturam humanam assumptam ad existendum existentia Verbi. Sed i. communior eaque verior sententia hoc tempore est existentiam solà ratione distinguere ab essentia.

Soluitur.

2. ex principio neglecto, dico nullo modo sequi posse essentiam realem seu in rebus inuentam extra nihil separari à sua existentia, cum illa sit intima rei actualitas per quam res formaliter ponitur extra nihil, nulla autem natura potest poni extra nihil absque actualitate.

Dices natura humana potuit subsistere per diuinam substantiam; ergo potest existere per diuinam existentiam.

Resp. neg. conseq. nam quidquid demum sit substantia, illa supponit naturam in rebus constitutam extra causas; nihil autem repugnat aliquam naturam existentem in rebus, per aliud terminari: actualis verò existentia id non supponit, sed est

id quo primò res sortitur esse reale & actuale. res autem non potest esse actualis entitas formaliter per aliud: quòd specialiter potest confirmari in entitate creata, quae ab alio dependet vt à causa efficiente vt sortitur existentiam, quòd non potest conuenire existentiae increatae, quae à nulla causa efficiente pendere potest.

Quomodo verò non obstante eo quòd natura humana in Christo habuerit propriam existentiam distinctam ab existentia diuina, non fuerit eidem accidentaliter coniuncta indicauimus supra q. 2. art. 6. quia videlicet caruit suo vltimo complemento substantiali, nimirum subsistentia, & ita potuit vniri alteri substantialiter vt vltimò terminaretur & sortiretur vnum esse completum cum Verbo. Vnde licet in Christo sint duo esse existentiae; Christus tamen non est duo, sed vnus & vnum, & absolute dicendus esse habere vnum esse, per quòd designatur esse vltimum & omnino completum, quòd est personale.

Contra resolutionem, Obijciunt 1. Sophronius in 6. Synodo actione 11. agens de humanitate Christi dicit, in Verbo Dei non in seipsa habet existentiam vnam cum Verbo. igitur non habet existentiam creatam.

Resp. ad antecedens in epistola Sophronij non haberi illam particulam, cum Verbo. 2. dico Sophronium solum velle docere naturam humanam non praexistisse vniioni, neque in se extitisse priusquam vniretur Verbo, sed existere in Verbo, quòd patet ex toto discursu: nam immediatè ante verba citata dicit, simul quippe caro, simul Dei Verbi caro simul caro animata rationalis, simul Dei Verbi caro animata rationalis; & totus discursus eò collimatur vt doceat contra Nestorium, primò naturam humanam Christi nullo tempore praexistisse vniioni sui cum Filio Dei; secundò eandem in Christo carere propria substantia & subsistere substantia Verbi. Solum ergo vult Sophronius humanitatem nunquam extitisse à Verbo separatam & in seipsa, sed ab initio suae productionis fuisse illi vnitam. Particula, vñ, quae habetur in codice latino, & quae parere posset difficultatem, non habetur in graeco, quae sublatà tollitur omnis difficultas, & clarè apparet Sophronium nihil aliud velle quam quòd diximus. Conf. quia in ea parte epistolae totus est in eo vt ostendat animam & corpus Christi conuenisse cum Verbo ad subsistendum per illud, atque adeò vnicam habere cum illo substantiam.

Ex his ad argumentum in forma Resp. neg. conseq. Addunt aliqui vocem *ὑποκειμένη* quae habetur in Graeco significare substantiam, sed quidquid sit hac de re, & nomine existentiae sumpto in communis significatione, argumentum nihil concludit, vt ex dictis patet.

Obijciunt 2. Damasc. lib. 3. de fide cap. 22.

Resp. nihil haberi in Damasceno quòd priori sententiae faueat, quia cap. citato quòd ad rem presentem facere possit, solum tradit carnem Christi Verbo vnitam, imò potius in ipso extitisse, ac personalem cum eo habuisse identitatem. ex quibus nullo modo licet colligere quòd humanitas extiterit existentia Verbi increata.

Obijciunt 3. quòd persona sit quae acquirit esse: illa enim est quae producit, & ipsum suppositum est terminus generationis. Vnde terminus generationis in Christo est persona Verbi existens in natura humana.

Ad priorem partem Resp. personam acquirere esse tanquam vltimum terminum actionis; natura

Obiectio 1.

18.

Quo sensu humanitas in Verbo habet existentiam?

Obiectio 2.

Resp.

19.

Obiectio 3.

Resp.

ram

nam verò etiam acquirere esse tanquam terminum formalem; & proinde personam non posse dici acquirere esse cum exclusione naturæ, seu quasi natura non nisi per personam acquirat esse: quia etiam dici potest quod natura fiat, producatur & acquirat esse.

Ad alteram partem similiter dico terminum ultimum & totalem generationis esse ipsum suppositum, terminum verò formalem esse ipsam formam, quæ per generationem acquirit esse, vel saltem vnitur materiæ & corpori. Vnde ex eo quod suppositum sit terminus humanitatem in Christo debere habere esse, seu existentiam increatam.

Obijciunt 4. ex secunda sententia sequitur Verbum existeret per existentiam creatam, & illam esse Verbi perfectionem.

Resp. negando sequelam; solum enim sequitur quod in quantum homo existat per existentiam creatam, non verò absolute; quia ut res dicatur absolute & simpliciter per aliquid existeret, necesse est ut intrinsecè habeat huiusmodi existentiam: Verbum autem non habet intrinsecè existentiam creatam.

Obijciunt 5. de fide est quod B. Virgo sit & vere dicatur mater Dei; non posset autem dici mater Dei, nisi humanitas in Christo existeret existentia increata Verbi; ergo. Minor prob. ut dicatur mater Dei debet attingere esse diuinum: atqui illud non attingeret nisi existentia naturæ humanæ sit increata; cum tota actio B. Virginis solum versaretur circa creatum.

Aliqui tanti hoc argumentum faciunt ut, nisi obstat auctoritas tam multorum sententiarum naturam humanam in Christo habere propriam existentiam, propter illud censerent eam sententiam esse improbabilem, & parum fidei consentaneam. Verum tantum abest ut hoc argumentum faciat pro priore sententia, ut potius non leuiter ei aduersetur quod ostenditur: B. Virgo neque potuit producere existentiam increatam, ut patet ex terminis, neque potuit illam communicare actione quæ attingat existentiam increatam, neque etiam actione quæ attingat creaturam, camque applicet existentia increata, cum huiusmodi actiones sint supernaturales, quas non potest creatura virtute sua naturali attingere.

Conf. 1. si hoc sufficiat, posset aliqua dici mater si supernaturaliter à Deo assumeretur ad vniendum diuinæ existentia: aliquam naturam præexistente: quod tamen dici nequit.

Conf. 2. actio, ratione cuius aliqua dicitur mater, ex sua naturali conditione est vitalis & procedit à principio vitali: atqui actio quæ natura humana vnitur diuinæ existentia non proveniret à principio vitali, quia non magis repugnat pro huiusmodi vniione assumi agens inanime quam animatum.

Conf. 3. mater concurret tanquam agens principale ad actionem ratione cuius dicitur mater: quid autem aliud præstiterit B. Virgo, constat non potuisse concurrere ad actionem vnitivam humanitatis cum existentia increata; igitur ratione illius non dicitur mater, & per consequens hæc actio non requiritur in Virgine ut dicatur mater; & proinde ex eo quod B. Virgo sit mater Dei, non aptè colligitur quod humanitas Christi debeat existeret existentia increata: cum ut patet ex dictis non aliunde concludatur, quam quod mater Dei debeat sua actione attingere esse diuinum.

Conf. 4. generatio est actio naturalis, & solum respiciens esse naturale.

Ad argumentum ergo in formâ Resp. neg. minorem, ad cuius probationem Resp. dist. maiorem: debet attingere esse diuinum tanquam terminum formalem actionis seu generationis, nego: debet attingere tanquam terminum ultimum & totalem actionis, concedo. Iuxta quem sensum nego minorem, quia terminus actionis ultimus & totalis non definit esse diuinus, quamvis existentia humanitatis sit creata. Cum ergo terminus ultimus actionis B. Virginis sit diuinum suppositum, seu suppositum Filij Dei, verè & propriè dicitur mater Dei, vel mater Filij Dei; quia videlicet concurret ad productionem humanitatis, quæ eodem tempore est in diuino supposito, & quæ productio ultimò tendit ad suppositum diuinum subsistens in natura humana. Cum ergo B. Virgo respectu Filij Dei ut subsistentis in natura humana præstet quod alia matres præstant in generationibus alijs, ratione quarum dicuntur matres; ea etiam verè dicitur mater, siue humanitas existat existentia increata siue creata.

Dices actio B. Virginis nullo modo tendit ad suppositum diuinum, cum prius naturâ existant partes humanitatis quàm à Verbo assumantur, ut ex dictis patet.

Communiter respondetur licet prius intelligatur terminus formalis productus quam vnitus Verbo, tamen B. Virginem dici matrem Dei, cum eodem instanti temporis humanitas reipsa vniatur Verbo, & ita Deus sit ultimus terminus. Verum id non videtur carere difficultate; cum tunc vel actiones sint tantum concomitantes, vel generatio sit naturâ prior, quæ nisi accederet, alia actio non posset sortiri rationem productionis Filij Dei. Vnde

Resp. ex dictis partim q. 6. art. 5. dub. 3. partim q. 2. art. 7. dub. 4. in fine. Diximus enim illà q. 6. partes prius à Verbo assumptas quàm inter se unitas. Cum ergo B. Virgo concurret ad vniorem partium quæ prius naturâ erant unitæ Verbo, sequitur quod eius actio non concomitanter nec per accidens ratione alterius actionis coniuncta, sed per se & immediatè habuerit pro termino totali diuinum suppositum subsistens in natura humana; atque ita commodissimè inueniatur actio propter quam dicitur mater Dei.

Quamquam & prior solutio quæ est communis non sit improbabilis, in quam reipsa incidunt Thomistæ, qui censent B. Virginem concurrisse ad productionem humanitatis sub ratione essentialis, quæ reipsa coniuncta est subsistentia & existentia increata; quod satis constat debuisse fieri per diuersas actiones.

QVÆSTIO XVIII.

De pertinentibus ad unitatem in Christo quantum ad voluntatem.

ARTICVLVS I.

Vtrum in Christo sint due voluntates?



ESPONDET affirmatiue.

Notandum præter eos qui vnam in Christo ponebant naturam, de quibus actum est supra q. 2. & eos qui negabāt

Resp. Actio B. Virginis quæ ratione se habuerit ad suppositum diuinum.

22.

Replica.

Resp.

23.

Partes prius fuerunt assumptæ à Verbo, quæ B. V. ad eam vniorem concurrunt.

Resp. affirm.